UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Secunda secundae Summa Theologiae

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

3 Vtrum sit grauissimum peccatorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-72772

Visual Library

ſe eſt. Et propterea author, qui non mouit quæſtionem de idolatria in reſpectu ad iſta, ſed vniuerſaliter in reſpectu ad omnia peccata, pertranſiuit facile in reſponſione ad primũ tertij articuli, materiam iſtam tamquàm claram.

¶ Ad obiectionem autem in oppoſitum dicitur quod aliud eſt comparare peccata ſecundum ſua genera, & aliud comparare peccatum unius generis ad ſummitatem alterius generis, vt in argumento fit comparando idolatriam. ad ſummum odiũ Dei puta, quo quis vellet Deum totaliter non eſſe. Huic enim ſũmo oporteret e regione ponere aliud ſummum, puta, idolatriam ex tali odio, & ſic idolatria inueniretur grauior.

¶ Ad primum autem dubium dicitur, quia idolatria tantum exterior eſt etiam proteſtatio infidelitatis, & odij Dei, ideo retinet grauitatem ſui generis, ac per hoc eſt grauior ſecundũ ſuum genus infidelitate, & odio Dei. Et includit præter ſui generis grauitatem, grauitatem mendacij pernicioſi: & propterea ab Aug. damnabilior dicitur, & ab authore ſuſtinetᷓ: & non dicitur in litera, ꝙ tale mendacium adæquetur, aut excedat infidelitatẽ interiorẽ, ſed, ut dictum eſt, declaratur quid idolatriæ exteriori ſecundum ſe cõueniat, ſ. ꝙ præſupponat infidelitatem interius, ac per hoc etiã ſi interior deſit infidelitas, exterior tamen quam idolatria ex proprio genere ex hoc, quòd eſt interioris infidelitatis proteſtatio, habet, non amittit. Cũ his tamen ſtat, quòd ex parte peccantis grauius peccatum ſit deliberare intus negare fidem Chriſti, & intus odio habere Deum, quàm voluntarie extra tantum idola colere: quoniam in peccatis intus maior deordinatio ipſius peccantis inueniretur.

aſſerentes non eſſe periculoſum, ſi quis perſecutionis tẽpore deprehenſus, exterius idola colat, dum tamen fidem in mente ſeruet; ſed hoc apparet manifeſte falſum. Nam cũ exterior cultus ſit ſignum interioris cultus, ſicut eſt pernicioſum mendacium, ſi quis verbis aſſerat contrariũ eius, quod per veram fidem tenet in corde: ita etiam eſt pernicioſa falſitas, ſi quis exteriorem cultum exhibeat alicui contra id, quod ſentit in mente. Vnde Aug. dicit contra Senec. in 6.* de ciuit. Dei: ꝙ eo damnabilius colebat idola, quo illa quæ mendaciter agebat, ſic ageret, ut eum populus veraciter agere exiſtimaret.

Ad primvm ergo, dicendum, ꝙ neque in veteris legis tabernaculo, ſeu templo, neque etiã nũc, imagines in Eccleſia inſtituuntur, vt eis cultus latriæ exhibeatur, ſed ad quandam ſignificationem, vt per huiuſmodi imagines mentibus hominum imprimatur & confirmetur fides de excellentia angelorum, & ſanctorum: ſecus autem eſt de imagine Chriſti, cui ratione diuinitatis latria debetᷓ vt dicetᷓ * in Tertio.

Ad II. & III. patet reſponſio per ea, quæ dicta ſunt.

Articvlvs III.

Vtrum idolatria ſit grauiſſimum peccatorum.

AD primvm ſic proceditur. Videtur ꝙ idolatria non ſit grauiſſimum peccatoruum. Peſſimũ enim opponitur optimo, vt dicitur * 8. Ethic. ſed cultus interior, qui conſiſtit in fide, ſpe, & charitate, eſt melior, quàm cultꝰ exterior. ergo infidelitas, deſperatio, & odium Dei, quæ opponuntur cultui interiori, ſunt grauiora peccata, quàm idolatria, quæ opponitur cultui exteriori.

¶ 2 Præt. Tantò aliquod peccatũ grauius eſt, quantò magis eſt cõtra Deum: ſed directius aliquis videtur contra Deum agere blaſphemando, vel fidem impugnãdo, quàm cultum Dei alij exhibendo, quod pertinet ad idolatriam. ergo blaſphemia, vel impugnatio fidei, eſt grauius peccatum, quàm idolatria.

¶ 3 Præt. Minora mala maioribus malis puniri vidẽtur: ſed peccatum idolatriæ punitum eſt peccato contra naturã, ut dicitur ad Roma. 1. ergo peccatũ contra naturã eſt grauiꝰ peccato idolatriæ.

¶ 4 Præt. Aug. * dicit 20. contra Fauſtũ. Neq; vos, ſcilicet Manichæos, paganos dicimus, aut ſchiſma paganorum, ſed cum eis habere quandam ſimilitudinẽ, eo quòd multos colatis deos. Verum in hoc eſſe eis longe deteriores, quòd illi ea colunt quæ ſunt, ſed pro dijs colẽda non ſunt: vos autem ea colitis, quæ omnino non ſunt. ergo vitium hæreticæ prauitatis eſt grauius, quàm idolatria.

¶ 5 Præt. Super illud ad Galat. 4. Quomodo conuertimini iterum ad infirma, & egena elementa, dicit gloſ. Hieron. Legis * obſeruantia, cui dediti tunc erant, erat peccatum pene par ſeruituti idolorum, cui ante conuerſionem vacauerant. non ergo peccatum idolatriæ eſt grauiſſimum.

Id habet in ſnia gloſ. interlinearis, in hoc loco.

Sed contra eſt, quòd Leuit. 15. ſuper illud quod dicitur de immũditia mulieris patientis fluxum ſanguinis, dicit * glo. Omne peccatum eſt immunditia animæ, ſed idolatria maxime.

Glo. ordin. ſuper illud Docebitis filios Iſrael vt caueant immũditias. D. 716.

Respon. Dicendum, quòd grauitas alicuius peccati poteſt attendi dupliciter. Vno modo, ex parte ipſius peccati, & ſic peccatum idolatrię grauiſſimum [d] eſt. Sicut enim in terrena republica grauiſſimum eſſe videtur, quòd aliquis honorem regium alteri impendat, quàm vero regi, quia quantum in ſe eſt, totum reipublicæ perturbat ordinem: ita in peccatis quæ contra Deum committuntur, quæ tamen ſunt maxima, grauiſſimum eſſe videtur, quòd aliquis honorem diuinum creaturę impendat: quia, quantum eſt in ſe, facit alium Deũ in mundo, minuens principatum diuinum. Alio modo poteſt attendi grauitas peccati ex parte ipſius peccantis: ſicut dicitur grauius eſſe pecatum eius qui peccat ſcienter, quàm eius qui peccat ignoranter. Et ſecundum hoc nihil prohibet grauius peccare hæreticos, qui ſcienter corrumpunt fidem quam acceperunt, quàm idolatras ignoranter peccantes. Et ſimiliter etiam aliqua alia peccata poſſunt eſſe maiora propter maiorem contemptum peccantis.

Ad primvm ergo dicendum, ꝙ idolatria præſupponit interiorem infidelitatem, & adijcit exterius indebitum cultum. Si verò ſit exterior tantum idolatria abſque interiori infidelitate, additur culpa falſitatis, ut prius dictum * eſt.

Art. præce.

Ad II. dicendũ, quòd idolatria includit magnã blaſphemiam, inquãtum Deo ſubtrahitur dominij ſingularitas, & fidem opere impugnat idolatria.

Ad III. dicendum, quòd quia de ratione pœnæ eſt, quòd ſit contra uoluntatẽ, peccatum per quod aliud punitur, oportet eſſe magis manifeſtum, ut ex hoc homo ſibiipſi, & alijs deteſtabilis reddatur. Non autem oportet, quod ſit grauius: & ſecundũ hoc, peccatum quod eſt contra naturam, minus eſt peccatum, quàm idolatriæ: ſed quia eſt manifeſtius, ponitur quaſi conueniens pœna peccati idolatriæ, ut ſcilicet, ſicut homo per idolatriã peruertit ordinem diuini honoris: ita per peccatum contra naturam, propriæ naturæ confuſibilem peruerſitatem patiatur.

Ad IIII. dicendum, quòd [d] hæreſis Menichæorum, etiam quantum ad genus peccati, grauior eſt quàm peccatum aliorum idolatrarum, quia magis derogant diuino honori, ponentes duos deos contrarios, & multa uana fabuloſa de Deo fingentes: ſecus autem eſt de alijs hęreticis, qui unum Deum confitentur, & eum ſolum colunt.

D. 703. & 716.

Ad V. dicendum, quòd obſeruatio legis tempore gratiæ non eſt omnino æqualis idolatriæ ſecũdum genus peccati, sed pene æqualis: quia vtrumq; eſt ſpecies peſtiferæ ſuperſtitionis.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

¶ *Super Queſtionis nonageſimæ quartæ Articulum quartum.*

a.di.15.q.1. artic.2.cor. Et 3.contra cap. 120. Et po. q. 3. ar. 4.cor.

IN articulo 4. eiuſdem 94 quæſtion. dubium occurrit, quo pacto verificetur, quòd omnes dij gentium dæmonia, & tamen licet colerent multos deos, colebant etiam unũ ſummum Deum, de quo non poteſt dici, quòd ſit dæmon, quia eſt verus Deus. Rurſus colebant motores cęlorum, quos conſtat non eſſe dæmones. Quomodo igitur omnes dij gentium dæmonia?

¶ Ad hoc dicitur dupliciter. Primò, vt in litera dicitur, quòd dæmonia erãt cauſæ omnis cultus idolatriæ. Et propterea omnes dij gentium erant dæmonia cauſaliter, licet non eſſentialiter. Secundò, dicitur, quòd omnes dij gentium erant etiam eſſentialiter, aut participatiuè dæmonia, inquantum erant dij gentium: quoniam non venerabantur ſecundum id, quod in veritate erant, ſed ſecundum id, quod non erant, hoc eſt, ſecundum deitatem, cum non eſſent dij, niſi unus, qui non adorabatur etiam ſecũdum id, quod erat, ſed ſecundum id, quod ipſi de eo concipiebant. Ac per hoc non adorabant ipſum Deum ſecundum ſe, ſed id, quod ipſi uocabant Deum, quod non eſt uerus Deus. Et ſic omnes dij gentium aut erãt dæmonia, aut figmentia dæmoniaca, quæ participatiue dæmonia erant, & dicuntur.

Lib. 8. Etymol. cap. 11. paulo a princip.

Lib. 21. c. 6. a med. illius tom. 5.

¶ In reſponſione ad ſecundum, cum legis idolatriam excluſam per virtutem Chriſti in ſexta ætate, non intelligas, quòd hoc ſit pro omni parte ſextæ ætatis perfectæ: ſed quoniam ex magna parte excluſa eſt, & excludentur reliquiæ in eadem ætate.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum cauſa idolatriæ fuerit ex parte hominis.

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur, ꝙ cauſa idolatriæ nõ fuerit ex parte hominis. In homine.n. nihil eſt niſi vel natura, vel virtus, vel culpa: ſed cauſa idolatriæ nõ potuit eſſe ex parte naturæ hominis, quin potius naturalis ratio hominis dictat, ꝙ ſit vnus Deus, & ꝙ non ſit mortuis cultus diuinus exhibendus, neque rebus inanimatis. Similiter etiam nec idolatria habet cauſam in homine ex parte virtutis, quia non poteſt arbor bona malos fructus facere, ut dicitur Matth.7. neque etiam ex parte culpæ, quia, ut dicitur Sapien.14. Infandorum idolorũ cultura omnis mali eſt & initium, & finis. ergo idolatria non habet cauſam ex parte hominis.

¶ 2 Præt. Ea, quæ ex parte hominis cauſantur, omni tempore in hominibus inueniuntur. Nõ autem ſemper fuit idolatria, ſed in ſecunda ętate legitur eſſe adinuẽta vel a Nẽbroth, qui, ut dicitur, cogebat homines ignem adorare: vel a Nino, qui imaginem patris ſui Beli adorari fecit. Apud Græcos autem, vt Iſid.* refert, Prometheus primus ſimulacra hominum de luto finxit. Iudæi vero dicũt, quòd Iſmael primus ſimulacrum de luto fecit. Ceſſauit etiam in ſexta ætate idolatria ex magna parte. ergo idolatria nõ habuit cauſam ex parte hoĩs.

¶ 3 Præt. Aug.* dicit 21. de ciui. Dei, Neq; potuit primum, niſi in illis, ſ. dæmonibus docẽtibus, diſci quid quiſq; illorum appetat, quid exhorreat, aut quo inuitetur nomine, aut quo cogatur, vnde magicæ artes, earumque artifices excreuerunt: eadem autem ratio videtur eſſe de idolatria: ergo idolatriæ cauſa non eſt ex parte hominum.

SED CONTRA eſt, quod dicitur Sap.14. Superuacuitas hominum hæc, ſcilicet idola, adinuenit in orbem terrarum.

RESPONDEO. Dicendum, ꝙ idolatriæ eſt duplex cauſa. Vna quidã diſpoſitiua, & hæc fuit ex parte hominum: & hoc tripliciter. Primò quidem ex inordinatione affectus, prout. ſ. homines aliquem hominẽ vel nimis amãtes, uel nimis venerantes, honorem diuinum ei impenderunt. Et hæc cauſa aſſignatur Sapien 14. Acerbo luctu dolens pater, ci-

F to ſibi rapti filij fecit imaginem, &
quaſi homo mortuus fuerat, nu[nc]
colere cœpit. Et ibidem etiam ſub[…]
mines aut affectui, aut regibus de[…]
municabile nomen, ſcilicet diuini[…]
pidibus impoſuerunt. Secundò, pro[…]
homo naturaliter de repræſentatio[…]
Philoſ. dicit in * Poetica ſua. Et ideo[…]
des a principio videntes per diligen[…]
imagines hominum expreſſiue fa[…]
cultum eis impenderunt. Vnde dic[…]
Siquis artifex faber de ſylua lignum[…]
rit, & per ſcientiam ſuæ artis figure[…]
let imagini hominis, de ſubſtantia[…]
G ptijs uotum faciens, inquirit. Tertiò, [...]
rantiam veri Dei, cuius excellentiam [...]
conſiderãtes, quibuſdam creaturis pro[...]
tudinem, ſeu virtutem, diuinitatis c[...]
runt. Vnde dicitur Sap.13. Neque op[...]
tes, agnouerunt quis artifex eſſet, ſed a[...]
ſpiritum, aut citatum aerem, aut g[...]
aut nimiam aquam, aut Solem, aut L[...]
res orbis terrarum, deos putauerũt. A[...]
ſa idolatriæ fuit conſumatiua ex part[...]
qui ſe colendos hominibus errant[...]
in idolis dando reſponſa, & aliqua, qu[...]
hominibus mirabilia, faciendo. Vn[...]
dicitur: Omnes dij gentium dæmon[...]

H AD PRIMVM ergo dicendum, quòd [...]
tiua idolatriæ fuit ex parte naturæ h[...]
ctus, vel per ignorantiam intellectu[...]
dinationem affectus, vt dictum * eſt[...]
ad culpã pertinet. Dicitur autem ido[...]
ſa, initium, & finis omnis peccati: [...]
quod genus peccati, quod interdum [...]
producat vel expreſſe inducendo per [...]
ſæ, uel occaſionem præbendo per mo[...]
vel per modum finis, inquantum pec[...]
ſumebantur in cultum idolorum, ſ[...]
hominum, & mutilationes membr[...]
huiuſmodi. Et tamen aliqua pecca[...]
I triam præcedere, quę ad ipſam homi[...]

AD SECVNDVM dicendum, quòd i[...]
non fuit idolatria propter recentem m[...]
tionis mũdi, ex qua adhuc vigebat c[...]
Dei in mente hominum. In ſexta aut[...]
latria eſt excluſa per virtutem, & doc[...]
ſti, qui de diabolo triumphauit.

AD TERTIVM dicendum, quòd ratio [...]
de cauſa conſumatiua idolatriæ.

K

QVAESTIO CXV.

De ſuperſtitione diuinatiua, in octo articulos diuiſa.

POSTEA conſiderandum eſt de ſuperſtitione diuinatiua. ET CIRCA hoc quęruntur octo.

¶ Primò, Vtrum diuinatio ſit peccatum.

¶ Secundò, Vtrum ſit ſpecies ſuperſtitionis.

¶ Tertiò, De ſpeciebus diuinationis.

¶ Quartò, De diuinatione, quæ fit per dæmones.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN